



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1845

CCI. Das Domcapitel genehmigt die von den Testamentarien des
Scholasticus Johann bewirkte Stiftung seiner Memorie, am 4. October
1385.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54414)

CCI. Das Domcapitel genehmigt die von den Testamentarien des Scholasticus Johann bewirkte Stiftung seiner Memorie, am 4. October 1385.

— Nos hennyngus Ghergel decanus, Johannes Roxtz senior Totumque capitulum sancti Nicolai in Stendal Tenore presentium Recognoscimus publice protestando, quod discreti viri domini Gherardus de Redichstorp, noster concanonicus, et Rudolfus Bake, perpetuus vicarius, Testamentarii honorabilis viri domini, Johannis de Curia, quondam canonici et scolastici Ecclesie supradicte, Necnon executores ipsius Testamenti ad hoc legitime constituti, pium propositum et vltimum velle ipsius domini Johannis ad debitum effectum deducere toto conamine affectantes, iuxta ordinationem testamentariam de bonis per obitum eiusdem domini Johannis derelictis, cum consilio, fauore et consensu nostrorum omnium ac tocius nostri Capituli ad perpetuam memoriam prefati domini Johannis, annuatim in Ecclesia nostra sollempniter cum vigiliis et missis, ut moris est perendam, quinque fertones argenti Brandenburgensis annue pensionis comparauerunt, quos quidem quinque fertones Ghereke Jerghov ac sui heredes, ciues in Stendal, de quodem agro prope ciuitatem Stendal sito singulis annis in festo purificationis Marie virginis hereditarie erogabit, prout in priuilegio super hoc confecto plenius continetur. Predictos eciam quinque fertones Rector capelle sancti Thome, qui pro tempore fuerit, colliget et extorquebit ipsosque quinque fertones in memoria anniuersaria dicti domini Johannis annis singulis peragenda distribuet fideliter in hunc modum; dominis canonicis in vigiliis et missis, presentibus duntaxat, mediam marcam cum dimidio fertone, vicariis et sociis in camera similiter presentibus fertonem et dimidium, campanario vnum solidum et cuilibet choralis presenti tres denarios monete currentis. Et quod super est de dictis quinque fertonibus pro suis laboribus collector obtinebit. Nihilominus tamen idem collector porcionem cum vicariis equaliter habebit. Si vero prefatus Collector negligens et remissus in colligendo et extorquendo fuerit et ipsos quinque fertones in dicta memoria presentibus non distribuerit, extunc porcione sua penitus carebit. Vt igitur premissa testamentaria ordinacio perpetue duracionis robur optineat, Nos hennyngus decanus antedictus cum consensu tocius Capituli sigilli Capituli nostri antedicti appensione ipsam duximus communire. Actum et datum Stendal, Anno domini Millesimo Trecentesimo octuagesimo quinto, ipso die beati francisci confessoris.

CCII. Der Dechant entscheidet die Uneinigkeit zweier Vicarien des Domes, am 10. März 1385.

Anno — M^o CCC^o LXXX^o quinto, Indictione VIII, mensis martii die decima, hora completorii uel quasi, In loco Capitulari nostrorum decani et Capituli infracriptorum Coram nobis hennyngho decano et Capitulo ecclesie sancti Nicolai in Stendal, halberstadenensis dioecesis, ac In Ludolphi Estorp notarii publici infracripti et testium infracriptorum presentia, comparuit discretus vir dominus hinricus Altmerslene, perpetuus vicarius Altaris sancti Michabelis in ecclesia predicta, et in causa vertente coram nobis decano et Capitulo predictis inter Ipsum dominum hinricum ex una et dominum Tidericum purkaw, perpetuum vicarium Capelle sancti Stephani in ecclesia sancti Nicolai antedicta, de et super quibusdam certis oneribus parte ex altera, sententiam arbitralem in contumaciam dicti domini Tiderici purkaw non comparentis ferri petiuit. Vnde nos — nostram arbitralem sententiam tulimus in hec verba: In causa arbitramentorum vertente coram nobis hennyngho decano et Capitulo ecclesie sancti nicolai in Stendal halberstadenensis dioecesis — pro tribunali sedentes per hanc